HISPALEN.

Beatificationis, & Canonizationis

VEN. SERVI DEI

FERDINANDI CONTRERAS

Presbyteri Sæcularis:

NOVISSIMÆ

ANIMADVERSIONES

R. P. FIDEI PROMOTORIS

SUPER DUBIO

An constet de Virtutibus Theologalibus Fide, Spe, & Charitate in Deum, & Proximum, nec non de Cardinalibus Prudentia, Justitia, Fortitudine, & Temperantia, earumque adnexis in gradu heroico in casu, & ad effectum, de quo agitur.

BEATISSIME PATER

1 BRevi oratione utar, ut soleo, & breviori etiam fortasse, quam soleo: quamquam enim nonnulla adhuc sunt, quæ multam Caussæ ingerunt difficultatem; tamen sunt illa etiam ejusmodi, ut meam operam, diligentiamque non requirant. Satis id unum est, ut facta per me indicentur: quæ vero in iis notari possent; quoniam facile per se unicuique in mentem venient; aut omnino præteribo, aut levissime attingam. Sic, quod mihi omnibus in Caussis est propositum, hac in Caussa assequuturum me esse, spero; ut neque meo muneri, reticendo, desim, neque Tibi, BEATISSIME PATER, dicendo molestus sim.

2 Quæ nostris in judiciis potissimum afferenda est probatio ultimi vitæ decennii sancte, heroiceque transacti, eam hac in Caussa frustra requirimus. Hoc unum scimus, Ven. Ferdinandum eo decennio, quod ei postremum fuit, in Africam discessisse captivorum redimendorum causa, ibique obsidem quinquennium fuisse: quid autem interea fecerit; utrum inter captivitatis incommoda, interque circum impendentia pericula, sic virtutem coluerit, sic omnem vitii labem fugerit, sic, uno verbo, semper se gesserit, quemadmodum Christianum heroem oportebat; id est prorsus ignotum. Diu, multumque laboravit clarissimus Postulator, omnesque ingenii nervos Defensor intendit, ut Caussæ ab hac parte periclitanti opem ferrent; sed supremum illud Servi Dei vitæ tempus tam magnis obvolvitur

tenebris, ut adhuc nulla ratione dispelli potuerint. Sic enim se res habet, ut, quum adeo tenuis hæc Caussa sit, ut omnis *in probationibus* dumtaxat *subsidiariis* nitatur ; ad hoc quinquennium illustrandum quod pertinet, in maxima subsidiariarum etiam probationum inopia versetur.

3 Nam afferuntur quidem a Caussæ Patrono Testes, Historicique ; hos simul jungendos esse ait ; eaque de re ad San. mem. Benedicti XIV. auctoritatem appellat : verum, si illi excutiantur, ut oportet ; si, quid Pontifex sapientissimus præscripserit, accurate investigemus ; facile unusquisque intelliget, quam procul sit, ut ejusmodi præsidiis legitima probatio conflari possit. Ac ad Testes quod attinet, partim ex Processibus Informativis Julio-Cæsareæ, Ceutæ, ac Teutani confectis, partim ex Processu Apostolico Hispalensi in specie, ex aliisque Hispalensibus, altero super Fama Sanctitatis, altero Fiscali, excerpti sunt. Jam vero Testibus ex illis Africanis Processibus uti non licet. Nam illos Sac. hæc Congregatio quinto Idus Julii 1764. inter *probationes* locum habere vetuit. Itaque ab ipsomet Caussæ Patrono testes illi Processuum Julio-Cæsareensis, Ceutani, & Teutanensis, non alio nomine, quam *Adminiculares* appellantur.

4 Quapropter, nisi forte, aut Sac. Congregationis Resolutio spernenda sit, aut Testibus reprobatis auctoritas dari velit, plane constat, testes illos afferre non licere. Nam certe, quum a Sancta Sede concessum est, ut *directis probationibus* deficientibus, *subsidiariis* suppleatur ; utque hujus generis probatio *ex testibus de auditu*, *& de publica voce*, *& fama*, una cum historicis confici possit ; illud omnino est volitura, ut *testes legitimi* afferrentur. Permisit, uno verbo, ut *testes* adhiberentur *de auditu* ; dummodo tamen TESTES essent. At quis eos *testium loco* habebit ; quis eos imo TESTIUM nomine appellabit, quos Sacra Congregatio *a testium numero* expungendos esse dixit, quos a probationum classe deleri jussit, quos ipsemet Defensor propterea inter adminicula rejecit ? Quod si testes ii non sunt ; testes autem ad subsidiariam etiam probationem requiruntur ; jam, frustra eos efferri, compertum est.

5 Sed æque inutile est, ut testes sive ex Processu Apostolico Hispalensi, sive ex Fiscali, sive demum ex eo super Fama Sanctitatis afferantur. Eos legitimos esse, non inficior : nego tamen, esse ejusmodi, quales nostra hæc judicia requirunt, ut ex iis, una cum historicis conjunctis, subsidiaria probatio emergat (a). Nam illud præmonendum est, quum Dubium agitur de Virtutibus, ad earum probationem satis non esse, ut testes *generatim* dicant, fuisse Dei Servum Virtutibus omnibus præditum, Fide, Spe, magnaque in Deum, & Proximum Charitate excelluisse, Prudentiæ vero etiam, tum Justitiæ, tum Fortitudinis, tum Temperantiæ illustria ubique dedisse argumenta. Generalia hæc Sac. hac in Congregatione nihil prodesse, notum est ; Amplissimique Patres non ignorant, illud omnino requiri, ut singularum Virtutum *Actus specifici* a testibus narrentur. Quod quam recte, sapienterque constitutum sit, nemo non videt. Quum enim *facta specifica* exponuntur, tunc, illorum examine instituto, facile potest Sac. Congregatio cognoscere, ac tuto decernere, utrum Dei Servus ad eum pervenerit singularum virtutum apicem, ubi est heroicitas constituta ; sin vero satis esset, ut testes *generatim* dicerent, cum Fide, Spe, aliisque Theologalibus, moralibusque virtutibus fuisse insignem, quin specificos earum Virtutum actus a Dei Servo exercitos indicarent ; tunc non tam a Sac. Congregationis, quam verius a testium judicio Caussa penderet.

Itaque

(a) *Nov. Resp.* §. 110.

6 Itaque sapientissime profecto statutum est, ut *generica* Virtutum, & Sanctitatis testificatio nihil prosit, nisi præterea *specifici Virtutum Actus* proferantur. Quo posito, ad Hispalenses testes venio. Quid præstant, quæso, quid valent? Quid enim dicunt? Hoc unum omnino, Ven. Contreram obsidem fuisse apud Barbaros captivorum redimendorum gratia; præterea nihil (a). Itaque scimus, ubi fuerit, qua etiam de causa fuerit: quid tamen eum quinquennium fecerit, quibus se exercuerit Virtutum actibus, num vero assidue, num etiam procul ab omni labe; hæc omnia sunt ignota. Uno verbo, *specificos Virtutum Actus* frustra quærimus. Ubi igitur testes, qui cum historicis conjuncti subsidiariam saltem probationem conficiant? Quod enim subsidiaria probatione uti Postulator velit, eo spectat dumtaxat, ut loco testium de visu, testes afferre possit de auditu: in reliquis nullum est discrimen; & probatio sive directa, sive subsidiaria sit, utraque *in suo genere perfecta* esse debet. Quare, quemadmodum testes de visu, qui generatim loquerentur, neque specificos Virtutum actus referrent, directam probationem constituere non possent; ita ex testibus de auditu, qui nullos referunt specificos virtutum actus, subsidiariam probationem conflari non posse, manifestum est.

7 At præterea ii testes, quibus tandem historicis junguntur? Iis scilicet historicis, qui pariter ac ipsi nullam sibi vindicare possunt auctoritatem. Nam quod in testibus notavimus, id æque in historicis requiritur, ut nimirum Servorum Dei facta speciatim referant. Sic porro ea quæstione proposita, *utrum satis sit Historicos testari Sanctitatem vitæ, aut Martyrium, an potius requiratur, ut vitæ cursum, si de Confessore agatur, vel pænam, & causam, aliasque circumstantias ad verum Martyrium necessarias referant, si de Martyre tractetur*, ita respondet Benedictus XIV. (b). *Facilis detur huic quæsito responsio: non enim post approbatum casum exceptum a Decretis Urbani VIII. quæstio in Sac. Rituum Congregatione instituitur, an constet de Fama Sanctitatis, aut Martyrii, sed an constet de Virtutibus, aut Martyrio IN SPECIE; QUO CIRCA NECESSE OMNINO VIDETUR, UT HISTORICI CURSUM VITÆ, SI DE CONFESSORE, & alia ad verum Martyrem spectantia, si de Martyre agatur, EXPONANT, TUM QUIA EXEMPLA SUPRA RELATA CAUSSARUM, QUÆ FUERUNT IN SACRA CONGREGATIONE DISCUSSÆ, ET RESOLUTÆ, ID EVINCUNT; tum QUIA NEMO NON VIDET, VETITUM ESSE IN JUDICIO IN SPECIE PROBATIONIBUS INNITI, QUÆ TANTUM AD GENERALIA RESPICIUNT.* = Quid igitur valent historici, qui nihil omnino nobis dicunt, præter genericum illud, Ven. Contreram in Africa fuisse? Ita enim Christophorus Mosquera = *Stiede egli in ostaggio in Barberia tre anni per pagare li schiavi, che aveva riscattati* =; ita pariter Nicolaus Godigno = *quinque hic primum annos obsidis loco Tetuani continenter fuerat, quod pro captivis credito redemptis ultro fidem suam Barbaris præstaret* =: nec plura habent reliqui scriptores, qui a Defensore indicantur (c).

8 Quare, ut concludam; quoniam illud est Sac. hujus Congregationis in more, institutoque positum, ut, quum de Virtutibus disceptatio est, ultimum vitæ decennium maximè inspiciatur; quum vero *directa* probatio desit, non se-

---

(a) Ita videre est *in Nov. Resp. d.* §.110.
(b) *Lib.3. cap.10. num.10.*
(c) *Nov. Resp. pag.*171.

secus *subsidiaria* audita's fiat, quam ubi ex testibus, historicisque in conflata, qui speciatim de Virtutum actibus a Dei Servo exhibitis referant; jam facile quisque intelliget, num sanctissimis Sacræ Congregationis legibus satis in hac Caussa factum esse videri possit, in qua ad quinquennii obscuritatem illustrandam *subsidiaria* probatio afferatur, quæ ex historicis, testibusque, partim reprobatis, partim *generalia quædam* dumtaxat narrantibus coalescit. Neque enim negotium composuisse putet Defensor, quum onus quatuor Miraculorum probandorum sibi susceperit. Quod enim ea de re San. mem. Benedictus XIV. decretum tulit anno 1741., ut iis caussis consuleret, quæ tum in Ordinario, tum in Apostolico Processu testibus de visu carerent; eò quidem prospexit, ut testes auriti, ut ajunt, primi, secundique gradus adhiberi possent; non illud profecto dedit etiam, ut quas conditiones in testibus oculatis requirimus, eas in auritis præterire possimus. Itaque, quemadmodum *ab oculatis* testibus *facta specifica* referri necesse est; idipsum *auriti* præstare debent; hoc uno discrimine, quod ab iis tamquam sibi visa, ab his tamquam audita referuntur: ac quatuor Miraculorum numerus, ad testium qualitatem supplendam, non ad testimoniorum tenuitatem tolerandam, præscriptus est.

9 Quapropter, quocumque se vertat Defensor, ea ex probationum defectu difficultas manet, quæ his in judicis maxima semper est habita. Quod si omnibus his caussis ad ultimum decennium potissimum respicere necesse est; multò id magis in hac Caussa oportet, quoniam quæ de reliqua S. D. vita narrantur, cum alia vix est ut heroicitatem præseferant, tum est etiam aliquid, quod a virtutis specie longe abfuisse videtur: Nam si, ut idem ipse Caussæ Patronus recte monet (a), *habitus heroicus, vel divinus non differt a virtute communiter dicta, nisi secundum perfectiorem modum, in quantum scilicet aliquis est dispositus ad bonum quodam altiori modo, quam communiter omnibus competat (S. Thomas 3. part. quæst. 1. Artic. 2.) si propterea præstans, & heroica virtus non essentia, atque natura a communi, vulgarique virtute discriminetur, sed ex promptiori, alacriorique animo, quo pro oblata occasione amplectitur, atque exercetur*; jure AA. PP. inquiebant, ubinam in Ven. Contreras rebus gestis illa essent *perfectioris modi, quam communiter omnibus competat, & promptioris, alacriorisque animi* argumenta, quæ a communi virtutum exercitio heroicum distinguit? Etenim, sive ad Summarium, sive ad Elenchum oculos convertamus; in virtutes a D. S. pro occasione exercitas incidemus quidem; eas tamen conditiones, quæ a communibus ejus generis actus heroicos discriminant, frustra requiremus.

10 Quamquam, & ab ipsa communi virtutis semita longe aliquando Ven. Virum aberasse, manifestum est. Oratio illa, quam partim in S. Ildephonsi laudem, partim in Cardinalis Manriquez Hispalensis Archiepiscopi obtrectationem ex suggestu in maxima populi frequentia pronunciavit, ejusmodi ea, inquam, fuit, ut nullo pacto excusari valeat. Factum autem ex integro repetere juvat: nihil ego de meo dicam; sed quemadmodum a contemporaneo historico, atque a Teste narratum est, iisdem eorum verbis referam = *Stimollo molto il Cardinale D. Alonso Manriquez Arcivescovo di Siviglia, e facendo una Festa di S. Idelfonso, pregò il P. Ferdinando di Contreras, che in quel giorno facesse la predica. Fecela egli, e vi si trovò presente il Cardinale, a cui rivolto nell' entrare in pulpito, disse: Rmo Padre, mi ha ella imposto di far la predica nella Festa di S. Alonso, ed io l'ho ubbidito*

(a) *Nov. Resp. pag.* 48. *ante* §. 56.

dito, come a mio Prelato, e Padrone; mi ha dato da pensare quello, che io mi abbia a dire: EGLI E' ALONSO, ED ALONSO E' ANCH' ELLA; MIRI DI GRAZIA, CHE DIFFERENZA VI E' TRA' UN' ALONSO, E L'ALTRO. *Io farò quello, che tocca a me; ed ella farà quello, che tocca a lei; raccomandiamoci ambedue a Dio; e con questo cominciò la predica. Scorse sopra la vita del Santo, e sue virtudi, e di mano in mano, che le andava ponderando, si rivoltava all' Arcivescovo col suo tema: Alonso egli, ed ella Alonso; molta differenza vi è trà Alonso, e Alonso. Lodò il Cardinale il sermone, e gradì molto quella gran sincerità, e bontà. Da lì avanti restò in Siviglia per proverbio, quando si fà comparazione frà persone disuguali, il dire: egli è Alonso; e voi Alonso; ma molta differenza vi è tra Alonso, e Alonso* = Ita Historicus Aloysius Munoz (a): nec secus Testis III. Processus Hispalensis super Fama in genere = *Predicando in questa Santa Chiesa in presenza del Cardinale D. Alfonso Manriquez suo Prelato nel giorno di S. Ildefonso*, CONFRONTANDO LE VIRTU' DEL SANTO CON LE AZIONI DEL PRELATO, RIFLETTE' CON GRANDE ESPRESSIONE LA DIFFERENZA, CHE VI ERA TRA' L'UNO, E L'ALTRO, TERMINANDO I SUOI CONCETTI CON QUESTE VOCI, CHE SONO RIMASTE IN PROVERBIO: LUI ALFONSO, E VOI ALFONSO; CHE DIFFERENZA VI E' TRA' ALFONSO, E ALFONSO = (b).

11 Ita factum se habuit: quid autem in eo potius reprehendam? Justitiam ne, an Prudentiam, an Charitatem fuisse violatam? Contra hæc enim omnia Contreram aperte, graviterque peccasse, quis non videt; quum palam, elata voce, toto audiente Clero, & Populo, eorum, suumque Antistitem S. R. E. Cardinalem ita insectaretur? Multa hac de re a me dici non oportet; quoniam facilè unicuique in mentem veniet, quis tunc esse debuerit audientium sensus, indignantibus aliis, quod ita ille pudoris, debitæque Pastori, Præsulique suo reverentiæ oblivisceretur, ridentibus vero aliis, quum ille toties eum locum iteraret = *egli è Alonso, e anch'ella è Alonso, miri di grazia, che differenza vi è tra un' Alonso, e l'altro*. Qui sermo adeo omnes sui novitate, & singularitate affecit, ut ab eo tempore apud Hispalenses comparatio = *egli è Alonso, e voi Alonso* = vulgare in proverbium cesserit. Quod autem maximum, gravissimumque est; quum ille per S. Ildephunsi vitam excurrens ad singulas ejus virtutes, resque laudabiliter gestas se ad Archiepiscopum converteret, eumdemque moneret, & adverteret, = *che differenza vi è tra un' Alonso, e l'altro*; Quid tandem de Antistite suo Hispalenses omnes cogitasse putabimus? An is igitur tunc justitiam, non heroicam dico, sed quidem communem servasse videbitur, quum debitum Præsuli obsequium despexit, eumque apud suos in existimationis discrimen adduxit? An Charitatem, quum ita intemperanter in eum est invectus? An Prudentiam, quum eò rem adduxit, ut qui aderant, aut de Archiepiscopo male suspicari, aut eum audaciæ insimulare deberent? Quod si Cardinalis insolitam orationis libertatem indignatus eum de loco descendere, linguamque cohibere jussisset; quamquam nemo esse posset, qui id injuria factum esse censeret; quam ampla novi scandali seges orta hinc esset!

12 At, inquiunt, nihil ad eam orationem Cardinalis fuit offensus. Ego vero id ipsius, non Ven. Contreras virtutem exhibere arbitror. Sed instant, fuisse

(a) *Summario pag.* 115. §. 28., *pag.* 116. §. 29., & 30.
(b) *Prima Resp. pag.* 124. *in fin.*

fuisse etiam aliquid in Antistite, quod reprehendi posset. At; quæro, cujusmodi erat illud? publicumne, an secretum? Si secretum; quo jure id omnibus patefacere, publicèque redarguere ausus est Contreras; Sin vero publicum; quæro primum, quis Presbytero tantam dedit auctoritatem, ut Antistitem suum, totis audientibus Civitatis ordinibus, omnique spectante populo, insectaretur? Id a superiore erga inferiorem, aut ab æquali erga æqualem probari vix posset; ab inferiori autem erga Superiorem, nisi divino impulsu factum id esse constet, tolerari non debet. Deinde, quod erat illud Archiepiscopi crimen tam magnum, ut ejus corripiendi causa, divina legatio adhiberi debuisse videtur? Postremo vero, etsi aliquod fuisset vitium, vel crimen; cur non illud potius reprehendendum suscepit Contreras, quin ita rem ageret, ut omnes S. Ildephunsi virtutes exponens, cumque iis Archiepiscopi mores comparans, pulcherrimo illo intercalari = CHE DIFFERENZA VI E' TRA ALONSO, E ALONSO = sic in eum adverteret, quasi omni virtute penitus exutus esset?

13 Quamquam, quid de Archiepiscopi vitiis quærendis laboro; quoniam ipse idem Causæ Patronus plane fatetur, ignotum sibi esse, quid fuerit, quod tam acriter in eo reprehendi potuerit? An non eò igitur magis improbandum est Ven. Contreræ factum? At factum ipsum negat Defensor; aut saltem lenire satagit: ita quippe ait = *Nihil aliud in Ferdinandi concione Amplissimo Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Principi objectum fuit, præter sententiam illam initio dicendi prolatam; voi mi avete ordinato, che io facessi questo sermone sopra la festività di S. Idelfonso, ed io vi ho obedito, come mio Prelato, e Signore, mi ha dato che pensare quello, che io dovevo predicare. Egli si chiama Alfonso, e voi Alfonso: considerate voi qual differenza vi è tra un' Alfonso, e l'altro: io farò quel, che devo in riguardo a me, e voi farete quello, che riguarda a voi: raccomandiamoci ambedue a Dio: nihil, nihil, inquam, aliud, præter hanc antithesim, modestam, opportunam, optimo cuique Antistiti salutarem, omnisque proinde expertem offensionis, contumeliæ, atque acerbitatis... Extant in Summario, & in Elencho veteris positionis Testium, & Historicorum dicta* (a). Sed certe, etsi Testes illi, atque Historici rem iis exponant verbis, quæ a Defensore sunt recitata; neque id Historici Munozii, Testisque III. narrationi repugnat, neque factum mutat, neque Ven. Contreram excusat. Hoc enim unum inter unam, alterutramque narrationem interesse video, quod ab illis brevius, ab his vero fusius factum est expositum. Itaque de concione a Dei Servo habita, de conversa ad Archiepiscopum oratione, deque comparatione inter eum, & S. Ildephunsum instituta, apud omnes convenit. Quod igitur ab aliquibus latius est expositum, an idcirco deleri possit, quia idipsum strictius ab aliis narratur; sua pro sapientia AA. PP. decernant.

14 Enim vero, etsi verbis illis, quæ magis Defensori placent, Ven. Contreram usum fuisse, concedam; an idcirco factum ejus minus improbandum esse videbitur? Est quippe aperta detractio, quæ crimine non vacat; est vero etiam tacita; altera multò illa pejor; Nam aperta detractio certum aliquod vitium spectat; tacita vero omnem vitæ rationem in suspicionem adducit, nullumque est vitium, nullum crimen, quod non complectatur. Jam igitur gravissima illa adnotatio expendatur = EGLI SI CHIAMA ALFONSO, E VOI ALFONSO: CONSIDERATE VOI, QUAL DIFFE-

(a) *Nov. Resp. pag. 292. §. 179.*

DIFFERENZA VI E' TRA' UN'ALFONSO, E L'ALTRO: IO FARO' QUELLO, CHE DEVO IN RIGUARDO A ME, E VOI FARETE QUELLO, CHE RIGUARDA A VOI= An idcirco excuſanda erit, quia, quum *nullius peculiaris defectus*, ut Defenſor ait (a) exprobrationem præſeferret; ampliſſimum audientibus relinquebat locum, ut quidquid vellent, de Antiſtite ſuo ſuſpicarentur? Rem omnem AA. PP. attente conſiderent; quidquid autem ad eam leniendam afferatur; Ven. Contreram excuſari non poſse, facilè intelligent. Publice ille Archiepiſcopi nomen læſit; doceat vero Defenſor (quæ una erat facti expiandi ratio), Dei Servum, quantum ab Archiepiſcopi exiſtimatione eo ſermone detraxerat, tantundem aliquando reſtituiſse.

Quæ dicta ſint ſub cenſura &c. ſalvo &c.

Carolus Erskine S. Fidei Promotor.

(a) *Nov. Reſp. pag.* 293. §. 180.

